

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qualitatibvs Ad Ea  
Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

417. An quæ dicta sunt de distributionibus quotidianis, intelligenda  
quoque sint de aliis distributionibus, quæ dantur in anniversariis  
defunctorum, ut iis tantùm, qui præsentes sunt funeralibus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*Vel centenaria observantia sicut loco probationis, & jusque presumptionem inducat. C. de Luca n. 6. Citans Sperell. decis. 37. Menoch. conf. 1023. &c. quin etiam non destituit ratione talis consuetudo, cum vel hoc ipsum interesset, nimisrum principalioribus horis, & officiis sit de maiestate, majori que decorum Canonica dignitas, quod redundat etiam in honorificientiam, ac majestatem ipsius Ecclesiae, dum hac alias in aliis horis, & functionibus non remanet cultu & servitio destituta, sed potius bene provisa, cum copiosa interessentia aliorum beneficiatorum. Luc. n. 9. Neq; id in eo casu prohibitus per Trid. ita docente omniū fere Ecclesiarum Catholicorum orbis usu, etiam Patriarchalium Basilicarum Urbis, quin &, dum in ipsa Urbe Ecclesia in quibusdam Collegiatis per Canonicos, nonnulli diebus festivis, preferunt officium; sed dictum decretū conciliare verē & proprie videri tangere exemptiones particulares aliquorum ab eo onere, quod alias supponitur incumbere Canonica, ita ut Canonici minus potentes, magisque devoti ac residentes & obsequentes cogantur portare rotum pondus servitij alii vero sumunt sibi licentiam non residendi, seu Ecclesia in serviendi, percipiendo integrē emolumētū; docet C. de Luca ibid. n. 2. & 5. Sed neque in hoc casu dicentur Canonici vel alii percipere distributiones pro tempore, quo non deserviunt, sed pro eo servitio, quod in suis respectivē temporibus integrē prastant, ita ut distributiones, quas percipiunt, tant condigna meriti illius tantū servitii, quod prastant, plus assecuturi, aut saltem meriti, si omnibus horis aliis, ac functionibus interesse deberent, cum alias tantus numerus beneficiatorū aliorum introductus non esset, per quorum distributiones minuantur ille Canonorum. Luca ibid. eodem n. 2. & 7.*

*Questio 417. Num, que dicta de distributionibus quotidianis, intelligenda quoque sint de iis distributionibus, quae dantur in Anniversariis defunctorum, videlicet, ut iis tantum, qui praesentes sunt funeralibus exequiis, obveniant, & consuetudo contraria non valeat, et si absentes sine justa causa, sive extra casus cit. c. unic. de cler. non resid. in 6. exceptos eas recipiant, teneantur ad restituitionem?*

**R**espondeo: affirmativè. Pirk. loc. cit. n. 97. Juxta cit. c. unic. & Gl. & Barb. ibid. n. 23. Azor. loc. cit. 7. q. 4. Procedunt quoque eadē de distributionibus, quae dantur in ipso die depositionis, vel septimo, vel trigesimo, vel alio ab obitu defunctorum. Pirk. ibid. & Azor. loc. cit. etsi enim portiones funerales non veniant nomine distributionum, iis tamen equiparantur, & eodem jure & privilegio gaudent. Pirk. ibid.

*Questio 418. Verum ad lucrandas distributiones requiratur, ut Canonici non tantum divinis officiis intersint, sed etiam, ut ipsi in choro cantent.*

**R**espondeo primò: Canonicos ex sua institutione, & jure communi teneri canere in choro, ita ut si in hoc notabiliter essent negligentes, peccarent mortaliter. Garc. vir. p. 3. c. 2. n. 512. citans pro hoc AA. quamplur. Et sic pricipere viderur Trid. seff. 24. n. 12. dum vult, ut compellantur omnes per se, & non per substitutos obire divina officia, & in choro psallere; hoc enim dicendo vult

P. Leuren, Fort Benef. Tom. I.

eos ad hoc teneri, & vult, ut ad illud compellantur tanquam ad rem, ad quam tenentur, cum compulsionis & executio supponat obligationem. Adeoque minus bene dicit Navar. & Aragon. præceptum hoc Concilii dirigi ad solos Prælatos, qui si in compellantur ad hoc Canonici negligentes essent, peccarent, non verò Canonici suā utentes consuetudine. Garc. n. 519. & 520.

2. Respondeo secundò: spectato jure communione saltem ad lucrandas distributiones integrē id requiri, nec sufficere ut privatim vel submisse in Ecclesia horas recident. Azor. p. 1. l. 10. c. 11. q. 5. Suar. tom. 2. de relig. 1. q. de horis can. c. 12. num. 10. Laym. th. mor. cit. c. 7. n. 6. Leff. &c. quos citat & sequitur Pirk. n. 99, eo quod distributiones non denunt ratione solius praesentia, sed pricipue propter officium psallendi in Ecclesia, adeoque dum Canones dicunt, distributiones debere his, qui horis Canonici intersint, vel qui in Ecclesia praesentes fuerint, id intelligendum de iis, qui praesentes fuerint ad præstandum officium, propter quod praesentes esse debent. Lurari nihilominus praesentes in choro, & non psallentes partem aliquam distributionum, quia praesentia sua officium exornant, docent Suar. Laym. II. cit. apud Pirk. De cetero docet Rodriq. apud Garc. n. 518. Canonicos domi recitantes horas & assistentes in choro non recitando, nec cantando ibi teneti restituere distributiones quasi totas: quod multo potiora jure docent Lopez & Vega apud Garc. ibid. de iis, qui ordinarie & frequenter confabulantur in choro.

3. Ubi autem consuetudo viget, vel exstat statutum, ut praesentes, etsi non psallentes, percipient distributiones pariter cum psallentibus, eas ab ipsis licite recipi & teneri, modò horas privatim recitent, quia dantur ibidem distributiones ob moralē praesentiam, docent iudem AA. uti & Azor. loc. cit. Leff. de jure & iust. c. 34. n. 18. apud Pirk. loc. cit. qui addit, id quoque procedere post Trid. Quin imò ad lucrando fructus & integrē distributiones sufficere solam assistentiam, etiam si non cantent, nec sint attenti, sed cum aliis loquantur ( quamvis in hoc male agant, et si excessus sit notabilis, peccent mortaliter ) tradit Garc. n. 514. citans pro hoc Bartholom. Medin. Zech. Toler. &c. contra plures alios, quos citat. n. 515. totum tamen hoc Garcias referit in consuetudinem, dum cit. n. 514. ait, ita videri esse consuetudinem & praxin Ecclesiarum; & n. 516. licet ex institutione officium Canonorum sit, horas in choro canere, tamen de consuetudine à multis annis recepta, tolerata & approbata, non videtur ad id teneri, modò habeant capellanos, & ministros, qui eas cantent, nec sit in hoc defectus considerabilis, quae consuerunto non videtur irrationalibilis sed tolerabilis. citatque pro hoc Navar. Arag. Zech. Cajet. &c. unde ad decretum Trid. supra id solum responderi potest, non esse quoad hoc de canto receptum, sed eandem consuetudinem etiam post illud durare, & esse continuatam; quia Episcopii non curarunt illud exegui facere licet & alia multa, & hinc non obligare. Garc. n. 521. citatque n. 522. Azor. l. 10. c. 11. q. 6. ubi dicat, consuetudinem ejusmodi, ubi fuerit moribus utentium recepta, valere, cum sit tantum contra jus Canonicum, etiam post Trid. ubi moribus utentium fuerit recepta, & continuata post illud, quia hac etiam in parte Concilio Trid. consuetudo potest derogare; & hoc dupliciter, vel quia post illud introduci coperit, & deinde fuerit usu confirmata: vel quia ante investita fuerat,